



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117824**

§. 18. Aratoris Poëma.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](#)

Sæculum VI. gem operam conferat. Tandem usum  
A. C. 544. Pallii, quemadmodum Symmachus Papa  
 Antecessori ejus concesserat, indulget. Simul ad Episcopos Galliæ Childeberto  
 Regi subjectos, & ad illos, qui Episcopos Arlatenses pro consuetudine ordi-  
 nabant, Epistolas dedit, exhortans, ut  
 Auxanius Vicarium suum recipient, ei  
 obedient, & ab eo litteras formatas, iter  
 longius suscepturn, acciperent. Hæ duæ  
 Epistolæ 22. Maji anno 545. datæ. Au-  
 xanius haud diu postea decepsit, & Aure-  
 liano in Episcopum Arelatensem ordina-  
 to Vigilius Papa ad Regis Childeberti  
 testimonium, & cum Imperatoris consen-  
 su eandem Potestatem iisdem conditioni-  
 bus tribuit. Id ex Epistolis Papæ ad ipsum  
 & Episcopos Galliæ 23. Aug. anno sequen-  
 te 546. datis liquet.

## §. XVIII.

*Aratoris Poëma.*

*Insc. in fin.  
to. 8. bibl.  
PP. p. 700.* **V**igilio Papæ Arator suum Poëma de  
 Actis Apostolorum Versibus Hexame-  
 tris concinnatum & in duos Libros divi-  
 sum obtulit. Arator olim Comes Do-  
 mesticorum, seu Prætorianorum Centu-  
 rio, & Comes Rerum privatarum id est  
 prædiis Imperatoris Præfetus, relicto  
 Mundo tunc Ecclesiæ Romanæ Subdiaconus  
 erat. Poëma istud Vigilio Papæ  
 sexta Aprilis, tertio post Basiliī Consula-  
 tum

tum anno, Indictione septima, id est, anno Sæculum VI.  
544. in Presbyterio ante Confessionem A. C. 544.  
S. Petri, nempe, in Sanctuario Ecclesiæ  
Vaticani, præsente Clericorum Romano-  
rum majore Parte tradidit. Papa, cum  
statim aliquam Versuum partem legi jus-  
sisset, hoc opus Surgentio Notariorum  
Primicerio in Tabularium Ecclesiæ depo-  
nendum dedit. Verum omnes, quot-  
quot erant Romæ, litterarum amantes  
Papam rogarunt, ut illud publice reci-  
tari præciperet. Mandavit, ut hæc Le-  
ctio in Ecclesia S. Petri ad vincula fieret.  
Tunc igitur maxima multitudine Eccle-  
siasticorum, Laicorum, Nobilium & Po-  
puli confluente, ipse Arator Carmen  
suum quatuor diebus recitavit, quippe  
Auditores hac Lectione adeo capieban-  
tur, ut eosdem Versus repetere sæpius  
cogeretur. Hinc singulis diebus non  
ultra mediam operis partem legere po-  
tuit. Hic videmus vestigia veteris illius  
Romanorum moris sub primis Imperato-  
ribus, ut Scriptores præsertim Poëtæ in-  
genii sui monumenta publice recita-  
rent.

### §. XIX.

#### *S. Cerbo.*

Sub idem tempus Totila Urbi obsidio- *Procop. III.*  
nem minitante, quam etiam postea *Goth. c. 9.*  
molitus est, qui intus copiis præerant,  
omnes